

quamvis tonsurati non sint, attamen sunt de religiosa familia.

61 Huic Clericorum Ecclesiae inservientium penuriae provi- sum nuper fuit in Consilio Romano a Sanctiss. D. N. Benedicto XIII. celebrato, ubi inhaerendo Decretis Concil. Trid. *sess. 23. de Ref. cap. 6. et 16.* decernitur, ut nullus initietur Clericali Tonsura, nisi eodem tempore Ecclesiae illi adscribatur, pro cuius servitio ordinari debet, *tit. 6. c. 2.* quod si Ecclesia vere indigeat Clericis, et adsint in loco, possunt cogi ab Episcopo ad inserviendum illi, dato eis congruo assignamento, ut respondit *S. C. Ep. et Reg. Archiepiscopo Cusentino 5. Aprilis 1593.* Quando enim Clerici de redditibus Ecclesiae non participant non tenentur suis stipendiis militare, *cap. fin. 1. q. 2. cap. cum secundum, de praeb. Abb. in c. Episc. n. 3. eod. tit.*

§. IX. Curabit etiam ut sacra supellex, vestes, orna- menta, linteamina, et vasa ministerii integra, nitidaque sint, et munda.

62 Quamvis unaquaeque Ecclesia custodem suum habeat, si non Sacristam, vel Campanarium, vel ut alii nuncupant, Mas- sarium, cui competat cura Sacrarum supellectilium Altaris, et Sacristiae, necnon rerum ad Sacramentorum ministerium faci- entium, attamen quia istae Personae, ut plurimum mercena- riae sunt et rudes (loquor de Ecclesiis Parochialibus, in quibus Religiosi Regulares non adsint: Monasteria enim, et Coetus Regularium perquam maxime student, ut omnia in munditie, et nitore parata sint) necesse est, ut Parochus quoque vigilet, et curam habeat rerum sibi commissarum, nec omnino se fi- dat Ministrorum operi. Quare subdit hic praesens Textus, ut multum curet de Sacra supellectile, de Vestibus, de Ornamen- tis, de Linteaminibus, et Vasis, ut quaecumque nitida, et munda sint in honorem ministerii.

63 64 Harum omnium, et singularum rerum, optima cura erit si Parochus conficiat, ac penes se retineat Inventarium, illas saepe enumeret, perpendat, et scrutetur an reparatione indi- geant, et illas reaptare faciat: nec pene Custodem tantum de- ponatur Clavis Armariorum, seu Scriniorum, in quibus repo- nuntur istae supellectiles, et vasa; sed et ipse praecipue illam custodiat. Claves vero Sacramentorum, nempe Eucharistiae, Baptismi, et Olei Infirmorum nonnisi a Parocho custodiantur, ne profanae manus ad ea pertractanda se ingerant.

65 Ista integritas, et mundities deest in Sacris Vasis quan- do per diminutionem, vel decolorationem deformantur, et tunc profanata dicuntur, et suspensa ipso jure, nec illis potest uti

Sacerdos pro administratione Sacramentorum absque peccato, Gavant. *part. 2. tit. 1. n. 2. litt. r. s. etc.* et in capite separato *de nitore, et munditia Sacrae supellectilis.* Plura de integri- tate, et nitore Sacrorum Vasorum videbis apud Marcell. Ca- valler. in libro inscripto; *Il Rettore Ecclesiastico* de mandato Eminentissimi Card. Ursini, modo SS. Benedicti XIII. Pon- tificis M. feliciter regnantis, typis edito ad instructionem Cleri sui Beneventani.

§. X. In Sacramentorum administratione, eorum vir- tutem, usum, ac utilitatem, et caeremoniarum significatio- nes, ut Concilium Tridentinum precipit, ex Sanctorum Patrum, et Catechismi Romani doctrina, ubi commode fieri poterit, diligenter explicabit.

66 67 Ista explicatio circa virtutem, usum, etc. Sacramen- torum, et significationem Sacrarum Caeremoniarum innititur praecepto per Concil. Trid. imposito, *sess. 24. de Ref.* Itaque notandum est, quod ista explicatio debet fieri lingua vernacu- la pro suscipientium captu, et quandocumque fieri poterit, praecipue vero in actu administrandi aliquod Sacramentum, quod satis clare docet Barbosa *d. de Offic. et pot. Paroc. cap. 17. n. 1.* Neque hic praetermittenda est constitutio recentissi- ma SS. D. N. Benedicti PP. XIII. modo feliciter regnantis, qui in suo Concilio Romano, *t. 15. c. 9.* Sacrarum Caeremonia- rum neglectui occurrens, mandavit Cleri Congregationem qua- ter saltem in mense, seu semel in hebdomada habendam pro Sacrorum Rituum disceptatione tum in Civitatibus, tum in Dioecesibus per omnes de Clero Sacris initiatos sub certa poe- na pecuniaria contra contumaces: in quibus Congregationibus, alternatim et Rituum, et conscientiae casus proponantur, dis- cutiantur, et practice exerceantur, methodo servata synodali, quae exhibetur in fine ejusdem Concilii n. XVII.

Hoc pacto quilibet Sacramentorum Minister studio huic enixe vacans, et se exercens, facile omnes Ritus callebit, et eos in administratione Sacramentorum plene, et adamussim adim- plebit, necnon virtutem, usum, utilitatem, adque caeremonia- rum significationes percipiens, sine magno labore poterit eas docere populum suum pro hujus Praecepti adimplemento: quod praeceptum necesse est adimpleri, ut Fideles in Sacramentis suscipiendis erudiantur, nec ad illa ignoranter accedant. Po- terit Parochus, seu quisque Sacramentorum Administrator in hoc casu uti brevibus verbis, sed clarioribus, ut ita fideles an-
Cox.—P. 6.

te susceptionem cognoscant quid sint suscepturi. Quando vero necessitas ministrandi Sacramentum aliquod, tempus commode non suppeditabit, tunc haec explanatio, et instructio post haberi poterit ad utilitatem seu suscipientium, seu adstantium.

§. XI. Dum Sacramentum aliquod ministrat, singula verba, quae ad illius formam, et ministerium pertinent, attente, distincte, et pie, atque clara voce pronuntiabit. Similiter et alias Orationes, et Preces devote ac religiose dicet, nec memoriae quae plerumque labitur, facile confidet: sed omnia recitabit ex libro. Reliquas praeterea caeremonias, ac ritus ita decenter, gravique actione peraget, ut adstantes ad coelestium rerum cogitationem erigat, et attentos reddat.

68 Ne Theologicis quaestionibus me involvam, quaerendo an singula verba in Sacramentis conficiendis sint necessaria, adeo ut, vel aliquo immutato, vel praetermisso dubitari possit an conficiatur Sacramentum, et praecipue Eucharistia, circa quae multa apud Theologos est disceptatio, hoc ad praxim breviorum, secundum institutionem meam ab initio mihi propositam, afferam, nempe notatu dignam esse distinctionem in praesenti Textu positam, hoc est. Quando Rituale loquitur de Verbis, quae ad formam Sacramenti pertinent, loquitur absolute dicens, quod Minister ea attente, et distincte pronuntiabit. Haec interpunctio, et attentio facit ut nulla verba immutentur, nulla omitantur, et sic cessat omnis difficultas, et quaestio, An confectum sit Sacramentum. Quando vero sermonem habet de Orationibus, et precibus, non loquitur de singulis verbis, sed injungit tantummodo, ut devote, et religiose Sacerdos eas dicat, ac si aliqualis verborum immutatio, vel praetermissio non noceat Sacramento.

69 *Nec memoriae, etc.* Nimia fiducia, quae ab aliquibus habetur memoriae, seu reminiscendae compescenda est, quia fructus pessimos quandoque gignit; verba enim propria saepe vitiantur atque immutantur. Tenacissimae, et firmissimae memoriae Concionatores quandoque audivi sermonem eundem a se compositum bis, et ter repetere, sed nunquam eodem firmo verborum ordine servato: nihil enim labilius hac animi facultate, quae in hominis potestate non est, licet specierum a sensibus acceptarum sit conservatrix. Igitur optime docet Textus noster, non debere Ministros Sacramentorum multum memoriae fidere in recitatione verborum, precum, et oratio-

num prescriptarum in administrandis Sacramentis, quia tumens nimis materialiter operatur: multa enim in memoria haec benus, quae raro actu cognoscimus. M. Henning. *dict. Phil.*

70 Tutior modus est legendi quaecumque in libro disposita sunt, quia majori mentis intencione tunc operatur Homo, quando per oculos intellectui mandat verba, circa quae Anima immoratur, ut percipiat illorum significationem.

71 *Reliquas praeterea caeremonias, etc.* Ad gravitate ministrantis Sacramentum haec pertinent: nam animus adstantium non erigitur ad cogitationem rerum coelestium, nisi aliquid coeleste videan in ministro. Materia Sacramentorum, Panis, Vinum, Aqua, Oleum, etc. habent in se materiale, et corporeum. Si animus humanus debet elevari oportet, ut in facie, in gestu, in incessu ministri aliquid supernaturale appareat; nec alio modo id evenire potest, nisi ministrando graviter, et desenter. Igitur caeremonias, ac Ritus decenter, et gravi actione peragens Sacerdos, se ipsum, reliquosque ad reverentiam, et devotionem, nec non espiritualium Mysteriorum, quae tractantur considerationem excitabit, Coreett. *Prax. de Sacram. Admin. p. 2. c. 1. n. 9.* De facto in vultu aliquorum Sanctorum Virorum ministrantium Sacramenta, totties visus est splendor, et quaedam laureola divinitatis, ut de S. Philippo Nerio legimus, de S. Andrea Avellino, qui vere ministerium suum implebant.

§. XII. Ad ministrandum procedens, rei, quam tractaturus est, intentus sit, nec de iis, quae ad ipsam non pertinent, quidquam cum alio colloquatur, in ipsaque administratione actualem attentionem habere studeat, vel saltem virtualem, cum intencione faciendi quod in eo facit Ecclesia.

72 Processionem istam ad Sacramenti administrationem, adque istam alienationem mentis, et animi a quacumque re non pertinenti demonstravit Patriarcha Abraham, tunc quando procedens ad sacrificandum in Monte Visionis filium suum Isaac, de mandato Dei, elevatis oculis, et viso loco ad Sacrificium designato, reliquit Servos, et Asinum ad radices Montis dicens: *Sedete hic cum Asino: ego autem, et Puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos*, Genes. 22. Quem locum Interpretes, et SS. PP. explicant de deponendis vanis, et inutilibus sollicitudinibus dum res Sacras tractamus:

ex quo ediscere possumus, unice tunc cum Deo esse a nobis tractandum, de Deo loquendum, et cogitandum.

73 *Actualem Attentionem, vel saltem virtuales, etc.* Hoc discrimine differunt inter se *Attentio*, et *Intentio*. *Attentio* est actus intellectus considerans ea quae facit homo. *Virtualis* dicitur illa, cum qua quis v. gr. incipit orare, et virtute illius prosequitur oratione, quamvis inter orandum involuntarie distrahatur. *Attentio actualis* est illa, qua quis actualiter attendit ad sensum verborum, vel ad piam meditationem, *Stanisl. definit.* De habituali nullum sermonem faciam, eo quia in quacunque actione est insufficientis. In *Oratione vocali* triplex est *Attentio*. 1. Quando attenditur ad verba, ne aliquis in eis pronunciandis erret. 2. Qua attenditur ad sensum verborum. 3. Qua attenditur ad finem *Orationis*, scilicet, ad Deum, et ad rem, pro qua oramus, *D. Thom. 2. 2. qu. 83. art. 13. in Corpor.*

Intentio vero est tendentia intellectus in rem aliquam, quae et solet appellari *Notio*, vel est actus liber voluntatis, sed tendens in finem. Triplex quoque ista est. *Actualis* dicitur habere qui actu elicit, et expresso intendit id quod facit. *Virtualis* est cum quis virtute actualis intentionis praecedentis operatur aliquid, etsi tunc illam intentionem non habeat. *Agud. de Sacram. in gen.* de habituali, quae ad nihilum valet, sermo non est habendus. *Textus* in hoc loco praecipit, ut in *Administratione Sacramentorum* habeatur *Attentio actualis*, vel saltem *virtualis*; sed cum *virtualis* aliquantulum infirma sit, in subsidium suum vocat intentionem faciendi id quod facit *Ecclesia*. *Gavant. T. 2. sect. 1. tit. 4.* ait peccare eum qui non attendit ad verba, vel ad sensum verborum, vel ad finem propositum, quarum duae primae attentiones singillatim sufficiunt, in quo loco multa vide de ista *Attentione*. Quoad *Intentionem* vero non sufficit, ut *Minister* intendat *exteriorem* illum actum; sed requiritur ut intendat conferre, seu conficere *Sacramentum* saltem *implicite*; non vero requiritur, ut intendat *explicite* conferre ejus effectum, *Coninck de Sacram. qu. 64. art. 8. Tamburim. Meth. celebr. Miss. l. 2. c. 1.*

§. XIII. Illud porro diligenter caveat, ne in *Sacramentorum* administratione aliquid, quavis de causa, vel occasione, directe, vel indirecte exigat, aut petat; sed ea gratis ministret; et ab omni *simoniae*, atque *avaritiae* suspicionem, nedum crimine longissime absit. Si quid vero nomine *eleemosynae*, aut *devotionis* studio, peracto jam *Sacramento*, sponte a fidelibus offeratur, id licite pro

consuetudine locorum accipere poterit, nisi aliter *Episcopo* videatur.

74 75 Et si nihil sperandum sit, nihil exigendum, nihilque petendum pro administratione *Sacramentorum*, *cap. cum in Ecclesia, Simon. cap. baptizandis, cum seqq. 1. q. 1.* nisi voluntarie quid offeratur, *cap. placuit 1. qu. 1.* nec pro benedictionibus nubentium, *d. cap. cum in Ecclesia, et d. c. cap. suam, de Simon. Azor. p. 3. inst. moral. l. 12. cap. 4. q. 2.* neque pro loco sepulturae per *Parochum* assignandum, neque pro exequiis mortuorum, *c. dict. 1. q. 1. c. quaest. et c. postquam, et seqq. 13. qu. 2. d. d. cap. ad Apostolicam, d. cap. cum in Ecclesia, et d. c. suam, de Simon. c. abolendae, de sepultur.* Nihilominus quando sponte quid offertur ab haeredibus, sive conjunctis defuncti, potest accipi, *d. c. quaest. c. in Ecclesiasticis 13. qu. 2.* aut ubi adsit consuetudo, quod aliquid detur in exequiis mortuorum, et consimilibus, aut legitime appareat de quasi possessione exigendi, puta, ut dentur candelae, prandia, etc. nec non in administratione *Sacramentorum*, licet *Clerico* non detur actio ad petendum, *gloss. sin. in d. cap. abolem. et in cap. suam, verb. pro exequiis*, ubi etiam *Hostien. num. 4. de Simon. Dec. cons. 214. per tot. Ugolin. tract. de Simon. in genere, tab 1. §. 10. num. 1. 2. 7. Gratian. discept. for. cap. 1. 10. num. 9. et c. 2. 10. num. 11. 12. 28. Ricc. Prax. Resol. p. 1. res. 566. 2. 4. et seqq.* Cum tamen consuetudo attendatur in recipiendis muneribus, ut loquitur in nostro casu *Textus* circa spiritualia pro sepulturis, benedictionibus nubentium, exequiis mortuorum, pulsatione campanae, et similibus adnexis, *c. quaesitum, 1. c. 3. q. 3. c. Agatho. 63. dict. gloss. 1. in d. cap. suam*, potest cogi *Populus* si non jure actiones, saltem officio *Judicis* ad observandam honestam et laudabilem consuetudinem, si quae super his fuit, *c. ad Apostolicam, et ibi gloss. sin. et Abb. num. 3.* quia multa non honeste petuntur, quae honeste recipi possunt *c. de Eccl. 18.* cum prohibitus petere, possint sponte oblatum, *eleemosynae* causa recipere, *cap. de Eccl. 18. dist. cap. placuit, cap. quaes. 16. quaes. 1. cap. dilectus, in fint. de Simon. Sylv. verb. decimae, num. 9.* et est conservanda talis consuetudo, etiam si *Clerici* sint divites. Haec et alia quamplurima habebis apud *Pellet. disq. Clerici PP. de Bonis Cleric. §. 3. num. 20. 21. et seqq.*

76 Potes tamen *Episcopus* per constitutionem *Synodalem* huic consuetudini derogare, quando videat, ob abundantiam oblationum, et munerum, foveri avaritiam alicujus *ministri Ecclesiastici*, et in malum usum, munera converti, *Januen. Prax. c. 25.*

§. XIV. Fidelibus alienae Parochiae Sacramenta non ministrabit, nisi necessitatis causa, vel de licentia Parochi, seu Ordinarii.

77 78 Juris Parochialis est ministrare Sacramenta Plebanis suis. Clericat. *de extrem. unct. dec. 71. n. 10.* et certum est ad illum spectare ex officio talem administrationem: ideo illicitum est cuique alii Sacerdoti, (licet Parocho, sed non illius loci, in quo tamquam pro non Parocho habetur,) absque licentia, aut tacita, aut expressa propii Parochi ministrare (excepto casu gravis necessitatis, absente, vel nolente Parocho proprio absque causa ministrare) Propterea cum Parochus extra suam Parochiam jurisdictionem non habeat, non potest se extendere ad faciendos istos actus jurisdictionales in aliena Parochia, et ita intelligendus est iste Textus, non vero quod non possit Parochus ministrare Sacramenta subdito alienae Parochiae se offerenti ad illud suscipiendum, non loquendo tamen de adimplemento praecepti Paschalis. Quod de Eucharistia dico, confirmo, et amplio etiam de Baptismo; nam hoc Sacramentum, de consuetudine, in quocumque Parochia, et a quocumque potest ministrari in Civitatibus; secus vero in Paroeciis Ruralibus. Conc. *Prov. Med. 5.* circa quod vide plura apud Barbos. et Possev. DD. nec non apud Corsett. *Prax. de Bapt. t. 2. p. 1. c. 2. n. 12.* Hoc insuper firmum sit, quod jurisdictionis Parochi non extenditur extra propriam Parochiam; sed hoc non obstante alienus Parochianus potest se conferre ad suscipienda nonnulla Sacramenta ad alienum Parochum sine peccato, quando non sit in odium, et contemptum proprii Parochi, quia tunc graviter peccaret.

79 Praeterquam quod potest Episcopus, rationabilibus de causis dispensare, ut Parochus in loco non sibi subdito minister aliquod Sacramentum, vel ut aliquis fidelis accedat ad Parochum non proprium ad suscipienda Sacramenta. Pasqualig. *T. 1. Q. 21.*

§. XV. Omnes autem, qui Sacramenta suscipiunt, loco, et tempore opportuno monebit, ut remoto inani colloquio, et habitu, actuque indecenti, pie, ac devote Sacramentis intersint, et ea, qua par est, reverentia suscipiant.

80 Ista monitiones per Parochum prudentem non fiant in specie tali, et tali Personae, sed semper loquatur in genere, et

publice, fugiendum populi odium; qui singulariter, et nominatim correptus, aegre fert admonitionem. Ad Altare dum celebrat, et dum est ministraturus SS. Viaticum sunt faciendae istae monitiones interessentibus in genere.

81 82 *Habitu, actuque decenti, etc.* in omnibus Sacramentis suscipiendis convenit decentia accessus, et habitus, sed praecipue in Sacramentis poenitentiae, et Eucharistiae; nam dissonum, et horrendum visu est accessus ad Tribunal poenitentiae erecta fronte, gressu praecipiti, et habitu sucato. Sic in suscipienda Eucharistia Parochus specialiter moneat foeminas, ut velatae, et veste ad collum usque ducta, et modeste accedant.

83 Demum per illud verbum *intersint*, videtur quod Textus doceat, seu moneat Parochum ad explicandum valorem talis interessentiae Populo suo quae interessentia si cum devotione, pietate et religione fiat, maximae utilitatis est ob Orationum multipliciter, quae in communiione fidelium fiunt, et sunt Deo gratiores,

§. XVI. Librum hunc Ritualem (ubi opus fuerit) semper cum ministrabit, secum habebit, ritusque, et caeremonias in eo praescriptas diligenter servabit.

84 Nonnulla in principio horum Commentariorum diximus de hoc libro Rituali, quod ad ejus nomen, originem, et naturam, superest. ut de ejus usu aliquod dicamus, Ad hunc finem compacti fuere insimul isti omnes ritus, et ex his unum Volumen compositum, ut Ecclesiastici, et praecipue Parochi uniformiter Sacramenta ministrarent. Haec uniformitas non ex alio provenire potest, nisi ex usu universali talis libri: quare cum nihil fidendum sit memoriae, ut alibi diximus, quicumque Sacramenta ministrans, secum habere debet illum, quia attendere debent Parochi, ut Sacramenta ministrent iis Ritibus, et Caeremoniis, quae in Rituali Romano Pauli V. jussu edito continentur, sicut in constitutione eidem Rituali adnexa, quae est 85: in Bullario. Barbos. *d. e. 17. §. 1.*

85 Eliminandi sunt igitur quicumque alii libri ad usum Ritualium elaborate, nempe *Sacramentales. Sacerdotales;* et praecipue *Circulus aureus* ille, qui huc usque a manibus Parochorum pertritus fuit, ob pluralitatem Benedictionum, et Rituum ab Ecclesia non aprobatorum.

86 Quare dudum, nempe die 4. Decembris 1725, decreto S. C. Indicis prohibitus fuit iste *Circulus aureus, Authore Fr. Francisco de Capellis a Bononia Ord. Cappuccinorum quocumque loco, et tempore impressus,* Caveant igitur Paro-

ehi, ne ob commoditatem utantur hoc libro, ejus usus pene sere per totum orbem Cristianum invaluerat annis elapsis.

87 88 Advertant insuper, ut Rituali Romano, quo utuntur, demptae sint omnes additiones factae, et forsani faciendae post reformationem S. Memoriae Pauli V. sine approbatione S. Rit. Cong. et maxime *Conjuraciones* potentissimae, et efficacae ad expellendas, et fugandas aereas tempestates, a daemonibus per se, sive ad nutum cujusvis diabolici ministri excitatas, ex diversis, et probatis Authoribus collectae a Presb. Petro Lucatello. Tit. S. Cassiani Bergomi, et similis naturae alia Volumina, Latino, Italico, et Gallico sermone conscripta. scilicet *Rituale, seu Caeremoniale Ecclesiasticum juxta Ritus S. Matris Ecclesiae Romanae, usumque Fratrum Discalceatorum S. P. Augustini per Galliam, donec conrrigatur.* Item *Rituario per quelli, che avendo cura d'anime, desiderano come buoni Pastori, etc. del R. M. Vincenzo Auriccio.* Item *Rituel Romain du Pape Paul V. à l'usage du diocese d'Alet, avec les instructions, et les Rubriques en François,* denique *Liber continens doctrinam administrationum Sacramentorum Ritus Ecclesiasticos, formam ordinationis consistorii, Visitationis scholarum in ditione Principum, et Dominorum, D. Jo. Alberti, et D. Ulderici Fratrum, etc.* quorum omnium, fit enumeratio in indice librorum Prohibitorum Romae cus. 1711.

89 Ad uniformitatem itaque habendam in administratione Sacramentorum, et rerum sacrarum, compactum fuit hoc Rituale, quod semper apud Parochos esse debet, ut praescriptas caeremonias plenissime servant, et uniformiter Sacramenta administrent. Ecclesia enim Dei una est, nec patitur scissuras.

§. XVII. Caeterum illorum tantum Sacramentorum, quorum administratio ad Parochos pertinet, ritus hoc opere praescribuntur, cujusmodi sunt Baptismus, Poenitentia, Eucharistia, Extrema Unctio, et Matrimonium. Reliqua vero duo Sacramenta, Confirmationis, et Ordinis, cum propria sint Episcoporum, ritus suos habent in Pontificale praescriptos. Et ea, quae de iis, atque aliis Sacramentis scire, servare, et docere Parochi debent, cum ex aliis libris, tum praecipue ex Catechismo Romano sumi possunt. Siquidem hic de iis fere tantum agere instituti operis ratio postulat, quae ad ipsorum quinque Sacramentorum Ritus pertinent.

90 91 Ne confundantur jura, et administrationes, hoc Rituale tantummodo tractat de Sacramentis, quae sunt in manu Parochi, et ab eo possunt ministrari. Alia vero duo nempe Confirmatio, et Ordo, cum ad solos Episcopos pertineat illorum administratio, habent particulare Volumen in quo de eorum ritibus tractatur, et hoc vocatur *Pontificale Romanum*, ubi Rubricae particulares circa eorundem Sacramentorum Ritus exponuntur, qui Ritus tantummodo ab Episcopis observandi sunt, et super illos particularem indaginem habere debent Magistri Caeremoniarum, et ii omnes, qui Episcopo ministranti assistunt. Igitur cum Rituale Romanum hoc ad solos Parochos, et Magistros Ecclesiasticos pertineat, frustranea esset explicatio Rituum ad eos non pertinentium. Verum datur casus in quo spectent ad Parochos isti Ritus, quia, licet horum duorum Sacramentorum ipsi non sint ministri, tamen tenentur scire eorum virtutes, et effectus ad hoc ut de iis possint habere sermonem populo suo, et illum doctum facere in istis duobus Sacramentis, ut ea possit, quando occurrat, suscipere cum sufficienti eorundem notitia. Catechismus Rom. praestabit omnia abunde, quae ad doctrinam horum Sacramentorum pertinent.

§. XVIII. Postremo quisquis Sacramenta administrare tenetur, habeat libros necessarios ad officium suum pertinentes, eosque praesertim, in quibus variarum Parochialium functionum notae ad futuram rei memoriam describuntur, ut ad finem hujus Ritualis habetur.

92 93 Libri necessarii Parocho, praeter Rituale Romanum, ad officium suum pertinentes, multi sunt. Textus vero noster principaliter intelligit de libris, in quibus notentur functiones Parochiales, quae particulari testimonio indigent, et ad perpetuam memoriam remanere debent. Quamvis tres tantummodo debere esse hujusmodi libros statuerit Ecclesia Bergomen. in sua prima Synodo sub Federico Cornelio Episcopo anno 1564. c. 26 nempe *Matrimonii, Baptizatorum; et status animarum:* attamen, ex nova constitutione Pauli V. quinque esse debere demonstratur, scilicet *Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimoniorum, status animarum, et defunctorum;* de quibus diffuse tractabimus in fine horum commentariorum, et eos Parochi custodire religiose debent pro indemnitate Parochianorum, qui, quandoquumque occurrat, possint ad eos recursum habere pro authentica attestazione. Ideo libris hujusmodi esse standum pronunciavit Rota cum multis Doctor. allegat. a Bellet. *disqu. par. 1 §. 1. num. 9.* et Monacell. *formul. legal. practic. Tom. 1. Titul. 10.* Com.—P. 7